

05

A

1401





Q. D. B. V.

EPISCOPUS PA-
NARIUS

CUM CONSENSU SUPERIORUM
IN PUBLICUM D.

PRÆSIDE

FRANCISCO HENR. HÖLTICH,
JURIUM DOCTORE,

RESPONDENTE

JOACHIM WERNERO HÖLTICH
SAXO-LAUENBURGICO.

IN AUDITORIO JCTORUM,

A. D. XXIX. AUGUST. M. DC. LXXII.



WITTEBERGÆ,
Literis MICHAELIS METERI.

DEO
T. O. T. M.
RERUM OMNIUM
CREATORI AC CONSERVATORI
CLEMENTISSIMO

INTER HUMILLIMAS DEPRECATIONES

QUANTUM NON GRATIARUM?

LAUDIBUS ET SANCTIFICATIONIBUS
ÆTERNIS

CONDEC. INTERMIXTAS

SE SUAQ₃ STUDIA OMNIA



D. D.

CONS.

05 A 1401

TUM PARENTI OPTIMO
DN. LUDOLPHO HÖLTICH
SALUTIS S. POST DEUM SATORI
AC STATORI FELICISSIMO

FRATRI ITEM PRIMIGENIO

INQVE PRIMISSEMPER DILECTISSIMO

DN. JOHANNI ADOLPHO HÖLTICH
CONCORDIÆ AC DECORIS
FAMILIARIS

SOSPITATORI CERTISSIMO

SUPER IMMENSIS AMORUM ATQVE BENEFICIOR,
NUMERIS

H. S. ANTIDORON F.

ET MONUM. PP.

QVOD

EX SINGULARI DEI PROVIDENTIA

INTRA UNAM ACADEMIAM OMNES INVISERE

NOBILISSIMÆ LYSERORUM FAMILIÆ THALAMOS JUNGERE

RARAM INTER PRIVV. CIVES VNDIQVE FELCITATEM GAUDERE

PSS,

CUJUS ÆTERNITATEM

INTER ANGUSTIOSA DEMERENDI STUDIA

ADVERSUS DEUM

PARENTEM

FRATREMQUE OPTT.

VV.

DISPUTANTES.



FELICITER!

CAPUT I.

ORIGINARIUM.



EDATUS nuper visus est EPISCO-
pus ad angiportulum Ecclesiae, satis sic lon-
gâ sollicitudine ovium sibi concreditarum
salutem attrahens. Modò PANARIUM
sistimus: qui præsistit pani; & præerat olim,
cœteris venalibus rebus omnibus, quæ ci-
vitatum populis ad quotidianum victum usui sunt. Sic e-
nim est Episcopus ubiqve, qui rerum habet inspectionem
simul ac providentiam; ut tot sint genera Episcopias, quot
(benè dixerim) rerum curandarum. (a) Adest Deus
PanEpiscopus extra folia etiam Sybillina, qui providentiâ
suâ omnes complectitur, omnium ex æquo curam gerit;
omnibus intuetur, omnibus providet. Et postquam di-
visum cum Jove habuerunt Reges, Principes, Magistratus
omnes, isti quoq; videant, ne quid Resp. detrimenti capiat.
Quomodo Missos legere est ab Atheniensibus, considera-
re quæ singulis opus erant in Civitatibus subditis, unde E-
A piscopus

(a) P. PET. GREGOR. THOLOS. l. XV. c. 2. DI. N. GODOFR. ad L. ult.
§. 7. D. d. muner. & honor. n. 52. ubi ARCADIUS CHARISIUS hæc
nostra consignaverat.

piscopi dicebantur; quales Lacedæmonii Armostas voca-
 runt. *Scholias Aristophanis in Avib.* Sic M. TALLIUS de
 se: Vult Pompejus me esse, quem tota hæc Campania &
 maritima ora habeant Episcopum. Observamus etiam Me-
 tatorum Principem, apud CASSIODORUM l. 4. *Variorum.* Et
 primum quidem (*ait*) interrogare Militem, quis eum ad
 metatum duxisset Episcoporum. Nostrum modò ex quo
 Panis habet sollicitudinem PANARIUM vocamus: eò tu-
 tius, quod in simili MARTIALIS dixerit Panariolum, TRAN-
 QVILLUS Panarium in *Domit. c. 4.* itemq; *PLINIUS l. 1. Ep. 6.*

Et incidit commodum illud, quod de Marforio (de-
 litio illo Romanæ Satyræ) scripsit P. MARTYR, FELINUS: Al-
 cuni pensano sia la statua di Giove Panario, perche pare
 che intorno habbia del pane, & in memoria di quelli pani
 fosse eretta, che gittorno le guardie del Campidoglio nel
 campo de' Galli. (b) Altri vogliono che sia un simolacro
 del fiume Nar, quale viene dalla Sabina & passa vicina al-
 la Città di Narni, che perciò ha preso il nome dal detto
 fiume, & che sia tramutata la lettera N in M, volendo di-
 re Nar fluvius, in vece di Marforius, perche veramente
 pare, che sia à giacere sopra piu presto d' un scoglio questa
 statua, che supra delli pani. Altri tengono che voglia di-
 re Marsfori Deus come dicesse, Marte Dio del foro &c.
dell' Antichità di Roma f. 50. Primum illud pro instituto sa-
 tis erat: sed erat jucunda nimis cœterarum quoq; Antiqui-
 tatum obversatio, quas oculis aliquando usurpasse jucun-
 disimum adhuc dum est. Ergò Jam non amplius miror, sed
 demiror, quod Te Innocentius Papa Suo Capitolio No-
 vo SALIBUS JOCISQUE Diis Curia Romanæ Numen intulit
 vetustissimum: postquam Jovis Panarii ventrem geris; &
 geris

(b) *Historiam rei feliciter gesta tenuit LIV. Dec. I. lib. V.*

geris Caput Colosseum Commodi, dignum Pontificiâ ty-
rannide: Tibiq; ex eo aptum magis, quod super tot ac
tanta Palatiorum sacrorum, prophanorum, superba cul-
mina inclinantem Tibi Pasquinum prospectare, ora ei-
dem porrigere, Responsâ dare habeas quæ S. P. Q. R. non
rarò saluberrima sunt fueruntq;. Euge jucundam Te
Jove Romam! Sed quo dilabor inadversus: quin Epi-
scopum nostrum persequor? Hoc agam: ordine Na-
turæ & quinon sit multum de indagine. Faxit DEUS ut id
fiat atq;ve eveniat FELICITER!

CAPUT II.

De Curatoribus Rei Frumentariæ. Ædilibus.
Præfectis Annonarum, & totâ Frumen-
tatorum familiâ.

PRimos homines veterum pleriq;ve & in iis C. PLINIUS
L. 16. *Hist. Nat.* glande saturari faciunt & depasci:
DIODOR. Sicul. l. 5. c. 2. oppidò Juridicâ, quâ omnes fructus
continentur. *l. un. §. 1. d. gland. leg. add. ALEX. ab ALEXANDR.*
Gen. dierum l. 3. c. 11. f. 138.

Contenti (*can. OVID. 1. Met.*) cibis nullo cogente creatis:

Arboreos foetus montanaq; fraga legebant

Cornua & in duris hærentia mora rubetis;

Et quæ deciderant patulâ Jovis arbore glandes.

Sed hæc Quoad prima Ceres ferro mortales vertere ter-
ram

Instituit: cum jam glandes atq; arbuta sacrae

Deficerent sylvæ & victum Dodona negaret.

VIRGIL. 1. Georg. NAT. COM. Mythol. l. 5. c. 4. sive Triptolemo tandem aut Picumno Magistro factum fiet,

- - - - ut glande relictâ

Ceserit inventis Dodonia quercus aristas. CLAUD. lib. 1. d. Rapt. Quæ omnia quàm inter Poëtas vera sint ad nos parum nunc attinet aut nihil : quibus illud modò statum fiet, quandoquidem frugibus inter gentes comestum est ac depastum, exinde verò frumenti primam omnium fuisse curam, non inter privatos minùs quàm in publicum. Sanè Rusticanus suæ sortis anxius quàm non votivam habuit ad omne momentam Divinitatem aliquam quantumvis falsò speratam in auxiliis. Sata statim frumenta quàm diu sub terrâ essent præpositam habere voluerunt Deam Sejam ; cum vero jam super terram essent & segetem facerent, Deam Segetiam. Proserpinam præfecerunt frumentis germinantibus, geniculis nodisque culmorum Deum Nodotum ; involumentis folliculorum Deam Volutinam ; Cum folliculi patescunt, ut spica exeat Deam Patelenam : cum segetes novis aristas æquantur (quia veteres æquare hostire dicunt) Deam Hostilinam : Florentibus frumentis Deam Floram : Lactescentibus, Deam Lacturciam ; Maturescantibus Deam Matutam. Cum runcantur, Deam Runcinam, Tandem Tutilinam frumentis jam collectis atq, reconditis ut tutò servarentur, præposuerunt. Intercalares Deos, Spinicensem Robigum, Populonium & Fulgorem, Bonumque Eventum non memoro : (a) Jam dum enim satis curæ edulitatum : quam perficiat Ædilitas.

Siquidem Annona antiquissimis temporibus in Urbe penes Ædiles erat, quorum curæ commissum ne populus

(a) v. J. ROÏ. in A. R. l. 2. c. 20. BARN. BRISSON. d. For. Ant. l. 1. f. 56.

lus fame premeretur *TIRAQUELL. in ALEX. ab ALEX. l. 4. gen.
 dier. c. 4. TH. DEMPSTER. in addit. Rosin. l. 7. c. 38.*
 Sic namq; Roma, omnis posthac Naturæ futura domina,
 sita est solo non admodum fertili, Austroq; objecta & cœli
 gravioris. *LAUR. SCHRADER. l. 2. Monum. Ital. A. SCHOTT.
 l. 2. Itin. Ital. c. 2.* Aquarum præterea inluvionibus opposi-
 ta; ut sic non rarò vel terra fructus negaret, quod sub A.
 V. C. 258. A. Postumio & T. Virginio Coss. evenisse me-
 morat *DIONYS. l. 6. f. 354.* vel datos aqua devastaret, quale
 quid sub alio Virginio Cos. A. V. C. 298. notavit. *LIVIUS
 l. 3. Dec. l. fol. 186.* Domi forisq; otium fuit annona propter a-
 quarum intemperiem laboratum est. Addo tertium Virgi-
 nium Cos. A. V. C. 278. (a) sub quò iterum magna fru-
 menti inopiâ laboratum est. Sed alia ex causâ: quippe
 quod propter Etruscorum excursiones desertus & incultus
 esset ager R. ac ne externi quidem commeatus importa-
 rentur, à negotiatoribus: dicam, quod intutum iis esset, an
 quod finitimorum odia coegerant indigere auxiliis?
 Quod alibi T. *LIVIUS l. 2. A. V. C. 262.* accersit ad spontane-
 am illam annonæ caritatem ex incultis agris per secessum
 plebis in montem sacrum sub ipsum sementis initium post
 æquinoctium auctumnale. *DIONYS. l. 7. pr.* Ex quâ & ipsa
 Ædiles suos plebes recepit, qui Tribuni subministrarent
 quicquid opus sit, & lites quas Tribuni eis commiserint
 judicarent: ædiumq;ve sacrarum locorum publicorum atq;
 annonæ curam haberent, uti habet formula Diony-
 siana (b) de Ædilibus plebis. Quibus cum surrogarentur
 Ædiles etiam Curules ex Patriciis, ludis quantumvis mo-
 dò habendis, & in id curandis Theatris: (c) nihilominus

A 3

cœtera

(a) ex *DIONYS. l. 9. f. 582.* (b) *l. 6. A. R. f. 411.* (c) *Liv. Dec. l. l. 6. f.
 l. 2. §. 2. d. O. J. L. Fenestell. d. M. R. c. 13.*

coetera quoque cum Aedilibus plebejis communia habituri, etiam annonæ aliarumque rerum curationem & cognitionem sibi vindicârunt; ut pauco satis intervallo providentiæ suæ exemplum edere potuerint in persona Q. Fabii Maximi A. V. C. 434. *Caritas annonæ sollicitam Civitatem habuit, ventumque ad inopiæ ultimum foret, nisi ejus viri cura, qualis in bellicis rebus multis tempestatibus fuerat, talis domitum in annonæ dispensatione, preparando ac convehendo frumentum fuisset Liv. l. X. Decad. I.* Ex Officiorum diversitate diversam nunc experiuntur Criticam. Qvi enim ad judicandi nactam potestatem reflectunt quasi adiles, ab aedeundi facilitate dictos volunt: euphonias gratia interposita literâ E. Qvod omnium maxime ad verum accedere dicit THEOPHYLUS in *Græc. Inst. paraph. l. 1. Tit. 2. §. 7.* Alii recta ab ædibus appellatos malunt, quod ædibus præesse deberent, in quibus omnia scita sua plebs deferebat, auctore POMPONIO in *l. 2. §. 21. d. O. 7.* DIONYSIUS cum Græcorum ἀγορευτικός (*) similem habere potestatem facit *lib. 6. inf. h. e. fori & rerum venalium arbitrium add. THEOPHYL. d. l.* Quibus tamen & ipsis multas ac magnas res præterea commissas esse antea dixerat. *d. lib. 6. f. 411.* Quibus ne impediretur, uti solet inter plura distrahi humana felicitas, utilissima hæc annonarum cura, prævidit C. JUL. CÆSAR, qui duos alios ex Patriciis creavit Aediles Cereales, qui frumento præessent. SVETON. in *vita Jul. l. 2. §. 32. D. O. 7.* sic enim Ceres frumentum à se inventum significat passim.

Sed ultrâ hos annonam extra ordinem curabant Præfecti Annonæ, utilitatis causâ constituti quoties id è Rep.

* Salsè Plautus in *Captivis*:
*Euge edictiones ædilitias hic quidem habet, mirumque usque adeo est,
 Nisi hunc fecere sibi Ætoli ageronomum.*

Rep. foret, difficili potissimum tempore & ex indigentia frumenti. *L. 2. §. 33. d. D. 7.* Qualem A. V. C. 262. qui erat proximus à secessione populari legimus ap. *LIV. & DIONYSIUM*, ac proinde Senatum dimisisse in Etruriam & in Campanos atq; Pométinos Campos & in Siciliam ad coemenda frumenta *l. 7. f. 417.* Et rursum A. V. C. 278. Coss. cum multis pecuniis in propinqua loca dimiserunt qui frumenta coëmerent; per singulas quoq; domus Cives frumentum profiteri iusserunt, ut quod superesset familiari usui, conferretur in publicum idq; justò taxarunt pretio. *DION. l. 9. f. 583.* Ex quo Annona Præfecturam (aliàs satis disputatam) ad annum XVIII. post exactos Reges T. Gegano & P. Minutiò Coss. deducit *POMPONIUS LÆTUS à Magistr. Rom. c. 9.* Cujus cura esset frumenti undiq; coemendi, et si quis ultra proprios usus possideret in medium ponendi. Advehi quoq; & advectum justo pretio venire imperabat; Exemplo in Pompejo illo MAGNO, qui P. A. cum è Sicilia cum magna vi frumentiolvere pergeret, ac gubernatores classis non se committendos sævienti pelago dicerent, illam saluberrimam Reipub. vocem dedisse dicitur: Navigare enim, inquit, necesse esse, vivere necesse non esse. *L. FENESTELLA. d. M. R. c. 15.*

Ubi ultra notandum inter initia jam fundatæ Reip. frumentum maxime ex Sicilia & Sardinia advectum fuisse, quæ exinde horrea audiebant populi Romani. *TH. DEMPSTER in addit. ad Ros. Ant. l. 7. c. 38. f. 1175. & alii ex FLORO l. 4. c. 2. VAL. MAX. l. 7. c. 7. SALVIANO l. 6. STMMACHO. l. 9. Epist. 39. PRUDENTIO contra Symmatum l. 2.* Diffuso autem jam Imperio ex Ægypto Africaq; Urbi quotannis advehebatur, atq; ut aliqui computant fuere sexcenties centena millia modiorum: cum circiter
qua-

quadragies centena hominum M. unam istam urbem in-
 colerent. *ad. Lips. d. Magn. V. R. l. 2. c. 10. & l. 3. c. 3.*
 PFLAUMER. *in Mercur. Ital. f. 371.* Deficiente vero RO-
 manorum potentiâ etiam ex Galliis TH. DEMPSTER *d. l.*
 SENECA non malè, quicquid terris omnibus aratum fuif-
 set in Unâ Urbe Româ consumptum, scripsit. Navibus jam
 & clasibus frumentum advehebatur super maria quod l.
 ex illo C. Taciti discimus in Annal. Nec nunc infœcun-
 ditate laboratur, sed Africam potiùs & Ægyptum exerce-
 mus, navibusq; & Clasibus pop. Rom. vita permisa est.
 (a) Ubi Hostiam aut ad Portus Tiberinos appulsum Men-
 fores per Saccarios Portus Romæ in horrea publica infe-
 rebant. *t. t. C. Tb. de Saccar. portu R. d. patron, horr. Por-*
tuens. Unde Pistoribus vendebatur *l. 1. C. d. can. frum.*
 V. R. vel etiam adverso Tiberi Romam deveheba-
 tur per Caudicarios & Nautas Tiberinos *t. t. C. d.*
Nautis Tiber. in horrea Urbis, quæ CL. fuisse ONUPHRIUS do-
 cet & conspiciuntur etiamnum hodie amplissima &
 diffusissima eorum rudera inter Tiberim & Montem Te-
 staceum. JACOB. BOISSARD. *in Topogr. U. R. AND. SCHOTT.*
Itin. Urb. l. 2. f. 366. Inde annona efferebatur & populo
 divi-

(a) L. ANN: SENECA *d. brevit. Vit. c. 13.* Hoc. quoq; quærentibus remit-
 tamus, quis Romanis primus persuasit navem conscendere? Claudius
 hic fuit, Caudex ob hoc ipsum appellatus, quia plurimum tabularum
 contextus caudex apud antiquos vocabatur, unde publica Tabula Codices
 dicuntur: & naves nunc quoq; quæ per Tiberim ex antiquâ consue-
 tudine commeatibus subvehunt, Caudicariae vocantur. Adde Nostros in
 Tit. C. D. Navicular. lib. XI.

dividebatur per Distributorè (b) : quem Præfectum
 frumenti dividendi singulariter constituit D. Augustus
 Imp. SVET. IN OCTAV. c. 27. Dignitas forte & officium si-
 mile Comitum horreorum occurrit in *l. un. C. d. pistorib.* Sic
 n. Comites abhinc dicti post Magistratus, qui Comitatum
 Ppis observarent : etiam omnes Præpositi. DION. GODOFR.
adl. 1. C. d. offic. Com. privatar. largit. Præterea erant sub
 Præfecto Annonæ etiam Notarius & adlectus Tritico, &
 Copiarii s. Parochi qui debent ligna salemq; HOR. 1. *Serm.*
 Et cum Parocho veniunt Opinator, qui exigebat anno-
 nam, & Dardanus & Teserarius; & si quos alios traduxit
 WOLFGANG. LAZIUS *l. 2. Reip. Rom. c. fin.* GREGOR. THO-
 LOSAN. *l. 36. c. 30. f. 740.* Adde ad historiam, tandem quoque
 annonæ curam (*sub quâ jam veniunt omnia edulia add.*
 PET. FAB. *l. 2. Agonistic. c. 17. f. 161.*) ad Præfecturam Urbis
 transmigrasse, quod discimus ex *L. 1. §. 11. d. Off. P. U. l. 1.*
C. d. condit. in publ. hor. X. l. 3. C. d. navic. & multis aliis C.
Theod. d. can. frum. utriusq; Urbis. L. 3 Cpol ita habet: Impp.
Theod. & Valentin. AA. Leontio P. V. Sescentarum undecim
auri librarum quantitas ad coëmptionem frumentariam sit
perpetuo dicata. Nec liceat cuiquam postea administratione
URBICARIÆ POTESTATIS *percepta aliquid ex memoratâ*
summâ minuere, vel ad quoscunq; alios usus convertere, sed
subgestorum testificatione certum fiat, & quod mancipibus
 B mutuè

(b) Dispensatores vocabantur in familia servi primæ auctoritatis Plutarchus
 in Lucullo, qui servis reliquis frumentum admetiri solebant singulis Ka-
 lendis. Dimensum quater nos olim frumenti modios in mensem impu-
 tabat, PONTAN. SYNE. 4. Dimensum 15. f. 136. Ex quibus servi
 frugi quod parcere poterant peculium sibi comparabant, quo non
 raro a Dominis se redimebant aut alias proarbitratu utebantur
 GV. BUDÆUS in *□*.

mutui nomine datum est, & quod ab hisdem sit (excepta omni concussionem) solvendum. Eum autem qui hanc formam ausus fuerit infringere quantitatem, in qua suam calliditatem exercuerit, in duplum reddere jubemus; & quicquid ex predicta ratione ad creverit, ad cumulum memorata auri quantitatis & frumentarii tituli fomitem redundare, legisque hujus tenorem aeneis tabulis incidi. Dat V. Kal. Decemb. Cpol. Ario-
bindo & Aspere CONSS.

Ex hinc Pistores qui alias subsunt Praefecturae Annonarum, notante Cujac. in parat. C. d. Off. Praef. Ann. in f. p. 44. sub generali etiam Praefecturae Urbis dispositione sunt GODOFR. in parat. c. Theod. d. Pistor. §. 4. Et sunt Catabulenses: qui molenda frumenta animalibus farinasque comportant; aut si mavis generaliter qui vehenda veterinis onera conducunt ἀπὸ τῆς καταβύλων quod est comportare. CUJAC. l. 16. O. 5. & post hunc nitidius JAC. GODOFR. in l. X. C. Theod. d. pistorib. & Catabulensib. Praeterea Suarii, (quorum obsequium erat in carne porcina suscipienda abs iis Provinciis & regionibus Italiae quibus a possessoribus porcina solvebatur: mox rursum populo Romano praebenda.) Et susceptores vini & caeteri Corporati omnes. t. t. C. Th. hic: qui alias quoque omnes Praefecturae Urb. Ampl. substant. l. 4. C. d. off. Praef Urb. ut sunt Mancipes Thermarum urbis, & subvectioni lignorum obnoxii C. Theod. l. XIV. Tit. 5. Calcis coctores. Tit. 6. aliaque minuscule corpora ex L. un. C. Th. de Mancipibus.

CAP.

CAP. III.

De Frumentationibus Vett. Tesseris & Sportulis.

Divisum Pop. Rom. frumentum postquam è publicò comparatum esset suprà attigimus. Cujus rei historiam facit M. VETRANIUS in illa veteri Lege, quâ in honorem Tergeminorum qui sub Tullo Hostilio feliciter contra Albanos rem gesserant singulari certamine, inter alia, provisum fuit, de dandis patribus Filiorum III. ex publico alimentis pro filiis donec pubuissent plenam pubertatem. (a) Quæ ipsa causam mox dederit frumentariæ Rom. largitioni, quâ victus plebi etiam defidi sine labore sumptu publico suppeditabatur: prout omnia exemplis in pejorare solent. Et quod æquum diceret GRACCHUS populum ex ærariò suo vivere FLOR. l. 3. *Histor.* Is ergò C. Sempronius Gracchus largitionem gratis primitus fiendam ex lege, quæ per aliquot annos ob ærarii & pecuniarum exhaustum cessaverat, ita noviter revocavit, ut semisibus & trientibus in singulos modios frumentum plebi daretur. h. e. ut semisse & triente tritici hordeique modius daretur. ANTON. AUGUSTIN. *d. LL. p. 38.* Quam L. Apulejus Saturninus si unquam abrogatam restituit circa A. V. C. 651. & 52. auctore CICERONE ad HERENN. l. 1, ubi Q. Servilius Capionem, Quæstorem Urbanum rei reclamantem introducit, quod diceret, Ærarium non posse pati tantam

B 2

largitio-

(a) Pubertatis quidem initium est anno XIV. sed maturitas anno XVIII. ex quo vocatur plena pubertas. in §. 4. J. & L. 40. §. 1. D. d. adopt. quam in favore olim ntarum sequimur l. 14. pr. & §. d. alim. leg. ARN. VINN. ad d. §. 4. J. d. adopt.

largitionem. Quam nihilominus P. Clodius Tribunus
 pl. mox gratuitam fecit; per quem remissi etiam sunt tri-
 entes ac semisses. ANTON. AUG. d. l. in LL. Apulejis & Clo-
 diis. f. 49. Ex quibus quintam propè partem vectigalium ara-
 rii perdidisse in Sextianâ Cicero conqueritur. PLUTARCHO
 ducentis quinquaginta supra mille Talentis (a) Reip. quo-
 tannis posthac stare solitum frumentum menstrum auctor
 est & cæteris annuis impensis quinquies vices Sestertiûm
 adjecta in C. Julio. CÆSAR utilissimo instituto ex viginti tre-
 centisq; millibus accipientium frumentum è publico ad
 centum quinquaginta retraxit, teste SVETONIO in Cæs. cap.
 41. quibus adhuc dum alimonia MENSTRUA dabantur
 etiam sub Octavio Augusto. Verba sunt Tranquilli in e-
 jusd. vit. c. 40. Ne plebs Frumentationum causâ frequentius
 à negotiis avocaretur, ter in annum quaternûm mensium
 tesseras dare destinavit: sed desideranti consuetudinem vete-
 rem concessit rursus, ut sui quisq; mensis acciperet. (b) Tesse-
 ræ (c) (in quas sic incidimus) erant signa, super quibus
 plebi frumentum pro portione signata distribue-
 batur. COEL. RHOD. L. XI. c. 8. ADRIANUS
 TURNEBUS existimat fuisse frustilla lignea qua-
 drata, certâ insignita & notata forma, quæ data sint iis, qui-
 bus

(a) Censetur a. Talentû aureis nostratibus sexcentis ALCIAT. l. 3. parerg. c. 5. f.

(b) Hæc pleraq; ex ore M. VETRANII, Mauri, profundissimi in Re anti-
 qua Juris Cii. tract. Sing. d. jure liberorum cap. 16. quem sequi non
 pœnitet. add. JUST. LIPS. I. Elect. cap. 8.

(c) De Tesseriis hisce v. TORRENT. N. ad SVETON. d. l. de Militariibus
 ONOSANDER. d. Re militar. quem ex bebeneficio JOACHIMI
 CAMERARII Latinum habemus p. m. 23. & 76. add. LIPS.
 d. milit. de Hospitalibus. ERASM. Chiliad. l. cent. 10. n. 50.

bus jus fuerit petendi frumenti publici : ideoq; à Græco
τίσσας dictas putat : quanquam etiam rotunda fuerint, cū
à Dione *σφαίρα* dicantur h.e. globuli & pillulæ. *Lib. XIX.*
adversar. c. 26. & post eum J. ROSIN. *l. 7 A. R. c. 34.* PAN-
CIROLLUS dicit : *Erat id signum cera lignove impressum quod*
à P. A. accipiebatur l. 2. c. 209. Impp. Valentinianus & Valens
in L. 5. C. Theod. d. annon. civic. Tabulas æneas supponunt,
quibus nomen inscribatur percipientis, unà cum modo
panis, ibi : quibus titulus est figendus æneus, in quem &
panis modus & percipientis nomen debet incidere &c.

Porro Lex prisca de Jure trium liberorum superfuit
etiamnum tempore Adriani Imp. salva teste DIONYSIO *l. 3.*
A. R. f. 160. (d) & viguit dubio procul longius cum Impe-
rio vigescente. Quinimò produxisse videtur Constanti-
nus legem ad omnes parentes qui pro paupertate educare
liberos non possent in *L. 1. C. Th. d. aliment. quæ inopes par.*
de publ. pet. deb. Tot. ad Ablavium ita sonat : *Cereis tabulis*
vel cerussatis aut linteis mappis scripta per omnes civitates l-
et alia proponatur Lex quæ parentum manū à parricidio arceat
ut utrumq; verat in melius : officiumq; tuum hac cura perstrin-
gat,

B 3

(d) Quin & lex ob illum casum sancita durat hodieq; ad perpetuam ju-
venum illorum memoriã, iubens, ut quoties nascantur trigemini, alimen-
ta ex publico usq; ad pubertatem accipiant. Περὶ θεῶν ὁ κελεύων οἷς
γίνονται τρίδυμοι παῖδες ἐκ τῆς δημοσίας τὰς τροφὰς τῶν παίδων
χορηγεῖ ἄχρις ἡβῆς. add. MARTIAL. *l. 2. Epigr. 91. & 92.*

gat, ut si quis parens adferat (e) sobolem, quam pro paupertate educare non possit, nec in alimentis nec in (f) veste imperitiendâ tardetur, cum educatio nascentis infantis moras ferre non possit, ad quam rem & fiscum nostrum & rem privatam indiscretajussumus præbere obsequia. Et cum Parentes per Africam, liberos suos ex alimoniam inopiâ vendere vel oppignorare divulgarentur, idem Christianissimus Imp. Sanctissimam Legem dixit, ut ex horreis substantiam haberent competentem. in L. 2. C. Th. eod. add. DIONYS. HALICARN. l. 4. A. R. f. 228. & vide historiam multorum. Impp. ap. PANCIROLL, l. 2. c. 209. f. 392. Coetera quoque plebs omnis abs subsequis Impp. providenda fuit eò

(e) Eodem consilio in Urbibus Italiae splendidioribus hodieque publicæ, sunt ædes, ubi à matribus quibuscunque, sexus sui infelicitatem deplorantibus tuto inferuntur rubicundi sæpe & sanguinolenti liberi ut è publico alantur, quoad artibus manuariis vitam sustentare sciant. Et ne Matres detegantur portulas rotatiles habent & ferrulis obductas, quibus è viâ publica noctu dieque impositi tollendi sunt ab Oeconomo: non raro additis signis aut scriptura à Parentibus præcipue honestis, ex quibus inter alios posthac discernere & tuto ad se deducere liceat rursum, ubi melior fortuna obvenerit.

(f) Alimentor. appellatio sui naturam continet omne id, sine quo corpus alii nequit, ut sunt, cibus, potus, habitatio, vestisque C. J. A. l. 34. Tit. I. Eademque ferè Victus in l. 234. §. 2. d. V. S. Cibaria autem ad solum cibum pertinent exclusâ habitatione, vestiario ALCIAT. in C. ut nemini lic. à coempt. XI. n. 3. C. A. d. l. adeoque nec vinum nec cerevisiam in his venire vult WEHNER. V. Speiseln. Qæ vox ap. Germanos etiam potum continet das Trinken. Quid si dicatur ein bisßen essen? Sub hoc quoque ex communi loquendi consuetudine continetur potus. WEHNER. d. l. f. 305.

edò largiùs , (g) quò pertinaciùs P. R.
qui dabat olim

Imperium, fasces, legiones, omnia : nunc se
Continet, atq; duas tantùm res anxius optat
Panem & Circenses ; teste JUVEN. S. X. Et de-
prehendimus domi nostræ rem in t. t. C. de Canone
frumentar. V. R. & alio d. navicular. XI. ubi scripsit CUJA-
CIUS : Populo alendo conferebant Provinciales frumentum, o-
leum, porcinam, bubulam : & hic est qui dicitur canon & com-
meatus P. R. quem curante Pref. V. & P. A. advehebant Na-
vicularii, & Caudicarii inspectum prius à Presidib. provin-
ciarum, vel Duumviris, apud quos & Navicularios testari o-
porcebat de suscepti commeatus integritate. & quæ alia Ro-
manâ digna Prudentiâ in id prospiciunt. l. 1. C. d. Can. frum.
V. R. & l. 2. C. d. navicular. Enimverò deducto etiam
Cpolim Imperio tùm annona gratuita etiam Urbi Cpoli-
tanæ data fuit à Constantino ad LXXX. ferè millia modio-
rum teste SOCRATE l. 2. c. 13. Theodosius auxit modum in l.
pen. C. Tb. d. annon. Civic. & rursus Martianus adjecit 120.
diurnos modios fr. l. 2. C. d. annon. civil. XI. postquam o-
mnem annonam in pane cocto exhiberi voluerat Theo-
dosius jun. in l. 1. C. d. frum. V. Cpol. Ex quo multa
panis gradilis & palatini Nostris mentio & est t. t.
d. annon. civic. & pane gradili. c. Theod. quo de
infra videbimus. De Annonis Alexandrinis constat
ex t. t. C. d. frument. Alex. ubi ALCIATUS, CUJACIUS
& alii. Nec de annonis Officiorum Palatinorum in V.
Rep.

(g) Nam & alia frequens erat in populum liberalitas Principum, in pe-
cuniâ, vino & c. sub congiariorum celebrata appellatione : quam vocem
sic communem dixit & mensuræ & liberalitatis Quinctil. l. 6. c. 4. sicut
quæ militibus fiebat, signabatur Donativum, videndus Faber Buchneria-
nus in V. Congiarii ALCIAT. in C. d. annon. Civil. XI.

Rep. inter has sordities dicam : Est ejus noticia illustris
in l. 1. & 2. C. d. off. P. P. Afr. Nov. 30. c. 6. §. 2. L. 1. & t. t.
C. d. annon. & tribut. & t. t. C. d. annon. & capitatione admi-
nistrantium & eorum Adsesorum aliorumq; publicas sollicitu-
dines gerentium, vel eorum qui aliquas consequuti sunt digni-
tates. Hæc ita in publicum: ex quò serpsit etiam ad pri-
 vatos liberalitas: inter quos Sportularum usus frequentis-
 simus erat. Solebant enim Romani potentiores Clie-
 tibus suis & aliis qui eos manè salutandi gratia adiissent &
 in forum ac postea domum deduxissent si non possent ad
 mensam retinere, cœnam in panariolos vel sportellas (h)
 conjectam porrigere, aut etiam pro sportulâ singulis duo-
 denos sestertios, aut C. quadrantes dare. MARTIALIS.
in Bassum V.

Denariis tribus invitâs, & mane togatum

Observare jubes atria Basse tuæ.

Deinde herere tuo lateri, præcedere sellam.

Ad vetulas tecum plus minus ire decem.

Trita quidem nobis togula est, vilisq; patri q;

Denariis tamen banc non emo, Basse, tribus.

lib. 9. Epigr. 103. Et alibi:

Promissa est nobis sportula: recta (cœna) datur
 est

(h) ASCONIUS in II. Verrin. Sportæ, inquit, Sportule & Sportellæ num-
 mûm sunt receptacula inde dicta quod ex spartu fierent, & magnitu-
 dine differunt à fiscis, qui erant & ipsi spartea uterilia ad majoris
 summa pecunias capiendas. Unde quia major summa est pecunia pu-
 blicæ, quam privatæ, pro censu P. R. ararium dicitur pro loculis & ar-
 catthesauri Fiscus. Unde fiscus pecunia publica, & sportula pecunia
 parvul; continens pro continenti PANCIROLL. l. 2. c. 159. pr.
 ALCIATUS d. Magistrat. Rom. n. 16. Tom. IV. Oper. f. 589.

Et videri possunt quæ de Sportulis varii generis & usus erudite disserunt JAC. CUJACIUS in *T. C. d. Sportul. GV, PANCIROLL. l. 2. Var. Lect. c. 195. LÆL. BISCIOLA horar. subcesivarum lib. 18. Tom. I. c. 6. P. M. WEHNER. Pr. Observ. V. Sportulae f. 305. JACOBUS PONTAN. in suis Attic. bellar. Syntagm. 7. add 27. p. m. 554.*

CAPUT IV.

Frumentum per Provincias sollicitat : simul ac Ædiles Municipales , & Sitionas omnes.

Satis sic in urbe circumspeximus : obeundum ultrà per Provincias : ne quæ pars Episcopias vacet. Sicut autem Procoss. & Præsides Prov. pace belloqve res illic omnes utiliter gerebant pro Imperio : nec quicquam erat quod non per ipsos expediretur : (a) ita habebant etiam Curationem rei frumentariæ. Adeoq; frumentum aliud vendebant, aliud emebant, aliud in cellam suam æstimabant, aliud imperabant, aliud honoris causâ accipiebant ipsi (b) quæ sic elegan-

C

elegan-

(a) add. L. 9. pr. d. Offic. Procons. cuius elegans in Proconsule novo Cappadociæ forma est in Nov. 30. per tot. add. Nov. 95.

(b) videnda L. 6. §. 3. d. Off. Procons. quæ de Xenis in universum illud vetus inculcat οὐτε πέντα, οὐτε πέντε, ἕτερον πέντων. add. l. 6. & l. 8. D. ad L. Jul. repetund. L. un. C. Theod. nedamna provincial. inflig. notabilis est in pœnæ severitudine, quippe quæ exitio subjungit ultimo qui improbat a munera tum extorquent, aut oblata non respuunt : tum qui sponte sua dedisse profitentur rusticanos. De SUFFRAGIO in Aulis licito ex l. un. C. d. suffrag. docta Cujac. in parat. ibid. & Dn. Tabor ampl. in eandem commentario.

leganter contraxit JOHANNES ROSINUS L. 7. c. 42. f. 1187. & eloquitur in usus nostros *Nep. XXX. c. 8. pr.* Ut si ex horreis Africae Praefides universis quos adverterint in egestate miserabili constitutos substantiam competentem tribuere & stipem rursum elargiri potuerint, ne ulterius Provinciales liberos suos egestate victi vendere vel obpignorare cogentur *in L. 2. C. Theod. d. aliment. quae inopes parent. de publ. pet. debent.*

In partibus deinde suis si non Aediles Municipales (c) ad exemplum pristinum AETERNÆ URBIS curarunt omnem rem frumentariam; certè venali praefuerunt rectè admetiendæ; quod Aedilium esset inter alia mensuras cogitare JUVENAL. *Sat. X.*

Hujus qui trahitur praetextam sumere mavis.

An Fidenatum Gabiorumq; esse potestas

Et de mensurâ jus dicere, vasa minora

Frangere pannosus vacuis Aedilis Ulubris?

Et A. PERS. *sat. I. v. 137.*

Sese aliquem credens, Italo quod honore supinus

Fregerit heminas (dimidios sextarios) Areti

Aedilis iniquas.

Non dixi Venalî simpliciter : quod Impp. Antoninus & Verus rescripserunt, jus non esse ordini cujusque civitatis pretium grani quod invehitur, statuere. *L. 3 §. 1. d. L.*

Jul.

(c) Fuisse etiam in Municipiis aediles latè demonstravit BARN. BRISSON. *l. 3.*

Jel. Antiq. c. 10. ex L. qui insulam. §. 1. d. Locat. Cic. ad Brut. l. 13.

Epist. Sveton. lib. d. clar. Rhetorib. Spartiano in Hadr. itemq; Juvenar.

lib. & Persio descriptis.

Jul. de Annon. (d) EXTRA ORDINEM quoque Synoneton non raro ex JUSSIONE SACRA indicebatur per provincias universas, urgente aliqua necessitate, veluti exercitus, aut urbis inopia sublevandae causa. Et cogebantur Provinciales forensibus pretiis inviti fisco vendere annonas suas: ut nulli penitus possidentium sub cujuscunque privilegii occasione excusandi tribueretur facultas: nec ab iisdem comparationibus praedia dominica aut quavis alia divinae domus exciperentur. *L. 1. C. ut nemini lic. à coempt. spec.* Sed cunctis onera haec irrogabantur, pro qua singulos portione contigerit ex numero jugorum & capitum. *Cujac. ad. l. 2. d. 1.* Quam ultra si quae à Provincialibus sub transactione comparationis pretio expeti solent, super iis quidem cohortatio imponitur, ut consensum facilem praebent super speciebus annonariis distrahendis: Non imperatur verò necessitas, quia adscriptione etiam facta, usibus publicis possent profuturas distrahere fruges. *l. 2. C. Theod. d. public. compar.* Quod si aliquando etiam ob civitates aliquas inopes necesse esset coemptiones fieri, licebat Praesidibus eam facere in territorio duntaxat ejus Civitatis, quae frumento indigebat, & in confiniis ejus, & eò pretio, quod in locis pro tempore obtinuerit. *l. 2. C. d. T.* In quibus Proconsulem Sironas ordinasse per municipia credibile est *arg. l. 3. §. 15. i. l. 18. §. 5. d. mun. & honor.* nec dum tamen qui sextum decimum aetatis annum agerent quos ad municipia

C 2

sironiae

(d) Rationem rei quoad mores magis nostros reddit Dn. BRUNNEM ad d. l. 3. ut Magistratus oppidani hodie quae iis quae à rusticis vicinis imbecuntur pretium statuere non possit tanquam extraneis extra suam Jurisdictionem: quod possit tamen Civibus suis aliquid vendituris: Jure pretium annonae statuendi penes Principem residente MOLIN d. J. & J. tr. 2. disp. 364. n. 1.

sitoniæ vocari non oportet. *L. 2. pr. D. d. vacat. & excus.*
mun. Subdit. d. l. 2. Cod. quod & Patres Civitatum (e.) ob-
fervabunt (pretium) & quilibet ubiqve coëmptionis cu-
ram gerens. De quibus L. 3. ex interpretatione CUJACII
perorat: Cum in civitate aliqua frumenti comparandi Cura-
tore opus est ejus creatio fiat arbitrio & electione Episcopi &
primorum Civitatis; non ut videbitur creatoribus, neq; ex
quibus voluerint personis, sed soli ex regione illa officiales mi-
litantes & dimissi ad munus illud sitonia ab eis promoveantur.
Hi namq; qui in publicis negotiis diu sunt exercitati, facilius id
expedient. At omni damno liberentur qui eam necessitudi-
nem curamq; sustinuerint, & secundum Leges discutiantur,
quandoquidem æquum non est, ut ex tot laborib; damnum fe-
rant, frumentum autem prabeant non majore pretio, quàm
in foro distrabatur &c. Post quæ Synoneton, συνονή, sito-
comia aut sitonia signif. coemptionem seu comparatio-
nem diversarum specierum comestibilium l. 2. C. d. frum.
V. C. l. 1. C. Tb. d. public. comparat. add. l. 1. §. 11. d. Off. P. V.
CUJAC lib. 1. Obs. 35. Sitones est curator frumenti compa-
randi l. 3. C. ut nem. lic. ἐν τῷ σίτον ὠνεῖσθαι. Quomodo σίτον
λακεῖ sunt qui frumenti asservandi curam habent. σίτη μέτρα
dispensatores &c. GODOFR. ad l. 18. §. 5. d. mun. n. 43. Et
Sytostasius vel Zygotasius, qui vel vendendo vel admeti-
endo frumento præerat: quod advectû Crithologi æstimas-
sent, quippe suscipiendo & excutiendo præfecti AND. AL-
CIAT. JAC. CUJAC. ad L. 1. C. d. frum Alexandr. XI. ARCADIQ
CHARISIUS libr. singulari de muneribus. Civilibus. Sitonum
 seu

(e) Sic audiebant qui Curatores civitatis sunt & Logistæ in *L. 19. §. 2. d. adm.*
rerum ad Civit. pertin. L. ul. §. 5. inf. ubi Godofr. n. 46. D. d. muner.
& honor. itemq; in l. 3. C. d. mod. mulctarum n. 44.

seu frumentariorum munus inter personalia munera numeravit ex usu quarundam civitatum; puta quod animi provisione & corporalis laboris intentione sine aliquo gentis detrimento perpetratur *ut notat L. 3. descripta supra C. ut nem. lic. add. L. 18. §. 1. & 5. D. d. muner. & honor. & vide latius POSTELLUM d. Magistrat. Atheniens. cap. 18.*

CAP. V

DE PANEFICIO VETERUM.

FRumentum habemus, sed nec dum edulium. Jam enim cribro id cernendum est: tum pinsendum pilo ruidio: novissime molis aptatum per saccum cilicinum excutiendum furfuribus semotis. Postea ad modum fermenti salubrem fit massa in macra, in furno longius excoqvenda, & reciperamus panem dulcissimum.

Tanta molis erat Romanam pascere gentem!

Sive ergo Pilumnus pilendi seu pinsendi usum invenerit, cujus inditio facit ROSINUS quod a pistoribus colitur & ab ipso pilum dictum est. *l. 2. c. 20. f.* sive quæ est frugum divina parens, eadem & molere & conficere Ceres docuit in Attica, Italia, Siciliave quod vult POLYDOR. VERGIL. *l. 3. d. Rer. invent. c. 2. pr.* Sive tandem Argeum Regem invenisse velis in Græcia: divulgasse in Italiâ Herculem, quod idem POLYDOR. ex PLINIO affert. Res undiqve vacillans & incerta est. Illud magis constat frumentum ante inventum molarum usum contundi solitum ac in

pilâ (a) comminui. Quod erat opus fervorum Pistorum (à pisendo quod deinceps pinsere dixerunt.) TAUBM. in Plaut. Epidic. Act. 1. sc. 1. f. 417. Idem pistrinarii à loco seu ipistrino. Quem HOTOMANNUS, BUDÆUS & alii in Fornacariis l. 27. §. 9. ad L. Aquil. quoq; investigant, COEL. RHODIGIN l. 25. c. 23. GODOFREDUS fornicarium legit n. 69. qui idem fornicator seu fornacator in l. 14. ff. d. instr. leg. ibi PAULUS: Instrumento balneario legato, & balnearior contineatur & fornicator. is scil. qui fornacem balnei caminumq; succendit. Quod verius est. Ejusd. farinae furnarius servus est in l. 24. §. 7. d. dam. inf. ubi v. Dn. Godofred. Ad rem redeo. Dabantur in pistrinum pessimi quicq; servi tanquam in durissimos labores (b) ALEX: ab ALEX. Gen. dier. l. 3 c. 20. p. 158. Unde Terentianum illud: in Andr. Verberibus lessum te in pistrinum Dave, dedam, usq; ad necem. item. Precipitem me in pistrinum dabit. Et depingit miseriam satis illud in Asinaria:

Ubi flent nequam homines, qui polentam pransitant.

Putâ quod vel planè nutriebantur pistorum servi polentâ: aut quod furtim de farina hordei esitare solebant. TURNEB. l. 4. adv. c. 13. Quod tamen inserta paucis collo molentium,

(a) Pileerant vasa concava lignea (nam lapidis duritia conteritur. Pl. l. 18. c. 11.) in quæ antiqui siccata aut igne tosta frumenta immissa pinsebant: seu in quibus frumentum contundebatur. ein Trog oder Gefäß darin man etwas zustoßet / ein Mörser / FABER BUCHNER. V. Pila. ROSIN. d. l. Et PLAUTUS fuit pistor cum molas trusatiles versando operam locasset. TAUBM. in Plaut. Epidic. f. 417.

(b) Hinc pistrinum locus plenus fatigationis & negotii operosi, viresq; conficientis dicitur CIC. d. Orator. Tbi mecum erit, Crasse, in eodem pistrino vivendum.

tium, ne ori manus admoverent, vetabantur, docente
ex POLLUCIS l. 7. c. 4. JACOB. PONTANO in *Attic. bellar. Synt.*
2. CXL. p. 723. Farris sic in pilâ facti communis erat P. Ro-
man. usus, quem multa secula non pane sed pulve victi-
tasse constat: quæ ex aquâ frumenti fabarum, aut hordei
farina fiebat ALEX. ab ALEX. G. D. l. 3. c. 11. p. 138. quæ sacrificiis
quoque Romuleis inest, & libai & far. DIONYS. l. 2. f. 93.
Et manet is mos hodieque inter Deos, nec quicquam est
additum ad priscorum frugalitatem, *subjungit f. 95.* Sed
inter homines paulatim frugales mores defluxere, pau-
pertasque probro haberi coegit: luxuriaque peregrinæ ab
exercitu Asiatico in urbem primum invecitæ. Ad quæ
usque tempora Pistorum nullos qui tostum panem lautiori-
bus coquerent, Romæ fuisse annos A. V. C. super quingen-
tos octoginta auctor est PLINIUS l. 18. H. N. c. 11. ubi subdit:
*Ipsi panem faciebant Quirites: Mulierumque id opus erat, sicut
etiam nunc in plurimis gentium.* Pistrices vocabantur pani-
ficæ mulieres ex testimonio LUCILII ap. DALECHAMP. in
*Not. ad Plin. hic. K. VARRO Coculas dixit d. vit. pop. Rom. Co-
cula quæ coquebat panem, primum sub cinere, postea in forno.*
Modus coqvendi alia in Cribano seu Clibano (sub testâ)
alius in furno, & in artoptâ: unde alius panis furnaceus est,
artoptitius alius & clibanites ap. PLIN. hoc loco nostro. ubi
videndus omnino DALECHAMPIUS. Pergit Noster: *Cribrorum
genera Galli è setis equorum invenerunt, Hispani è lino excusso-
ria & pollinaria (ad purgandum pulverem grossiusculum
quem pollinem vocabant) Ægyptus è papyro atque junco.* His
jam suppetiis in novissima quæque gulæ irritamenta ven-
tum est, ventris magis prodigia, quam alimenta; perque
gradus itum in extremam illam luxuriam coenarum,
quam

quam neq; Fannia Orchia aut Dida, neq; Oppia, Cornelia,
Ancia & Julia Leges satis cohibere potuerunt, quæ parvo
satis intervallo hanc unicè curabant. ALEX. ab AL. l. 3. c. 11. f.
ANT. AUGUST. d. LL. b.

Et jam nomen Pistorum ad eos etiam transferat qui
faciebant panem, cum antea pistorem nullum nosset
nisi eum qui in pistrino pinserent farinam VARRO. 834.
ut tamen molerent (molis sive manuariis sive jumentariis.
l. 26. §. 1. d. instr. leg. l. 12. §. 10. l. 18. §. 2. eod.) & pinserent u-
nà: CUJAC. l. 16. Obs. 5. Innuit MARTIALIS: l. 8. Epig. 16.

A pistore Cipere non recedis

Et panem facis & facis farinam.

Et vel ex illo Paulino in l. 18 §. 1. d. instr. leg. intelli-
gitur: Instrumento legato, aliquando etiam personas legantium
neesse est inspicere: ut ecce, pistorio instrumento legato, ita i-
psi pistorum inesse videri possunt, si paterfamil. pistrinum exer-
cuit. Nam plurimum interest pistoribus an pistrino para-
tum sit. Ex quo ultra discimus, Paneficium quod con-
tinuatum fuerat personis servilibus, quoad sellularias ar-
tes tractare ingenuo homine indignum erat ex instituto
R. Civitatis. BODIN. l. 1. d. Rep. c. 5. f. 60. sensim ita ab his ad
Libertinos, & ab istis ad ingenuos Patres famil. pertransi-
visse, licet æq; omnibus sordidum fuerit pistrinum, sive
per se sive per alios exercerent, v. l. 12. §. sordidorum C. d. ex-
cusat. mun. l. 1. C. d. perfectiss. dignit. Unde M. Antonius
Augusto maternam originem objiciens proavum ejus di-
cebat pistrinum exercuisse TRANQUILL. in Octav. c. 41. M.
VERTRANIUS d. l. c. 29. f. 198. Jam dum enim sub Patribus
fuerunt qui per servos panifices sumptibus publicis subve-
nirent annonæ, Paneficiumq; in Urbe in Pistrinis publicis
exercuerunt; quæ domus erant in figularum regionum
vicis amplissimæ; CCLIV. ex descriptione Veteris Romæ
colligun-

colliguntur JAC. GODOFR. *in parat. C. Th. d. Pistor. n. 5.* Sub Principatu autem Panificium adeò impensius curabatur, quò magis super hoc non rarò salus & vita Principum requiescere visa fuit. Adeoq; Impp. ipsi de facultatibus rei dominicæ & privatæ pistrinum per servos & rerum Actores exercuerunt; præterea cum sic nondum sibi sufficerent, alios etiam variis commoditatibus & beneficiis invitârunt ad pistorium opus & pistrini obsequium. Exemplo sunt prædia seu fundi & possessiones dotales seu doctes *l. 7. l. 13. & 19. C. Th. h. t.* quæ Pistoribus solatia certa præbebant, plerumq; locata perpetuario & Emphytevticario jure. CUJAC. *l. 16. Obs. 5. & dictis LL. C. Theod.* Et quod Latini Pistrino Jus Quiritium Civitatis Jus consequantur, quod habet ULPIAN. *in fragm. Tit. IV. & prosequitur sic satis plañe M. VETRIANUS d. c. 29. d. Jur. liber. & add. t. t. C. Theod. d. privileg. Corporatorum Urb. Rom.* Unde mox Pistorum certa Corpora, non jam in Urbe tantùm, sed & per Provincias. Tx. est clariss. *in l. ult. D. d. excus. Tut. & loquitur t. t. C. d. pistoribus.* Mancipati illis Pistores, vocabantur omnes Mancipes Cujac. *ad h. t.* quod invitâ Lege ex iis egredi vicissim non possent. Quamvis Mancipatus alias etiam in Jure Præposituram officinarum significat: & Præpositi Mancipes, (c) quibus canon ex horreis publicis ad coqvendum panem consignari debebat *l. 2. C. Th. d. frum. V. Cpol.* quibus mutuò etiam dabatur ex coëmptionibus publicis. *l. 3. eod.* & probavit insigniter JAC. GODOFRED. *ad l. 18. C. Th. d. pistor. f. 165.* Ex quò simul modos ampliandi

D Collegii

(c) Si non iidem Pistrinens. Principes ap. Sveton. *in Calig. c. 30.* sunt tamen ap. Justin. *ei πρῶτες τῶν ἀρτοποιικῶν ἐργασεῖων.* in Nov. 80.

Collegii describam ex §. 8. *ἠδελφῶν*. hinc quem saltim compendifacio. Hoc Pistorum Corpus variis rationibus replebatur. 1. Originis vinculo tenebantur filii, nepotes &c. 2. Etiam qui filiam Pistoris uxorem duxisset. 3. Ad quos saltim prædia eorum per successione aut voluntariam acquisitionem transferant. 4. Et qui pro minore 20. annis semel labores subierunt, unà cum adulto manent in pistrino. 5. Per sententiam Judicis leviorum criminum rei damnabantur in pistrinum Urb. Romæ. 6. Ex CC. Divorum Principum pœnam hanc subeunt qui etiam concusserit Pistorem. l. ult. C. Th. hinc. aut si Patronus Caudicariorum & Mensorum deprehensus sit in fraude l. 9. C. Th. d. *juariis*. 7. Tandem fuit & officium aliquod in Africâ unde singulis lustris Judices Africani Pistorum Romæ usibus dirigere tenebantur l. 12. §. 17. C. Th. b. t. Cum quibus desino de vett. Paneficio.

CAP. IV.

Distributionem facit Panum etiam Palatinorum.

Postquam cocti bis jam terve panes sunt, ultrò sumere fas erit divites, pauperes, palatini, plebeji, cives omnes, quibus jus petendi est. Sic enim magna panis est diversitas, ut omnium sive palato sive necessitatibus fiat satis. E siligine quidem lautissimus, pistorumque opera laudatissima: præsertim si bonitate siliginis & cribri tenuitate constat: Ovis præterea aut lactis incoctâ misturâ PLIN. l. 18. c. 9. §. 11. Durat etiam sua Piceno in panis inventione

Pistoria causa sunt ita favorabiles, ut de iis etiam feriatis diebus Judicatur L. 5. §. 1. C. d. fer.

ne gratia ex Alicæ materia, cui (mirum dictu!) creta inter Puteolos & Neapolim in colle Leucogæo fossa admiscebatur. PLIN. *d. c. ii.* & MARTIALIS in *nostris*:

Picentis Ceres niveo sic nectare crescit

Ut levis accepta spongia turget aqua.

Simila quoque in pretio erat, quam D. HIERONIMUS in *Epist. ad Nepotianum*, inter delicias ponit. Ut erat omnis panis albus gratissimus ERASMO interprete *Chil. 3. Cent. 2. ad. 76.* Album panem pinso Tibi. Artologanus porro proximè à delitiis dictus: quas variâ arte in conficiendo pane procurabant ad singula credo obsonia. Exemplo panum Ostreariorum *ap. PLIN. d. c. ii.* & retulit prodigiosa sanè gularum deliria in Iudices suos quos magnam partem ex ATHENÆO *l. 3. Dipnos. c. 15. 16. 17. & 18.* descripsit super panum varietate CÆLIUS RHODIGINUS *l. 9. c. 16. add. Alex. Gen. Dier. l. 5. c. 21.* Omnes oculo jucundo legas, si id gula permittat. Pauperum aut brevis est & curta supellex: Panis si non cibarius, sordidior saltem, fuscus, niger & ater: nunquam aut parum ex secundo tertiove cribro. Durum olus & populicribo discussa farina PERS. *sat. 3. fin.* Ex eò genere erant Ardinienses, Cantabri, Cumani & Cilicii, quos dispunxit GODOFRED. *ad l. 5. c. Theod. d. annon. civil.* maximè circa primos sollicitus annon Sardinenses sint à Sardibus Lidia, aut Aricienses ab Aricia? vel Ardanienses ex gr. *αῤῥάτιον* aut Ardynienses ab Ardynio civitate inter Lydios: & quas alias conjecturas refert Doctorum virorum *f. 244.* Cœterum in libris nostris frequentissima est mentio PANUM PALATINORUM, qui & gradiles dicuntur & Annonæ Civiles & Civicæ. *rubr. C. Tb. d. annon. civic. & pan. gradil.* Quorum usum sub Patribus quoque VETRANIUS induxisse videtur *d. J. L.*

e. 28. f. 199. Ex liberalitatibus demum Impp. atqve congrua-
riis quæ plebi Rom. dabantur, & postea in certum redi-
tum abierant tutius educit *ALCIATUS l. 8. parerg. c. 5.* Pol-
lionis & Virgilii exemplo insimul ista probaturus. Et con-
firmant magis quæ novissimè dixi de pistoribus, quibus
dabantur frumenta ex publicis horreis, tum deinde popu-
lo panes. *CUJAC. ad l. 1. C. d. condit. in publ. horr. X.* Proxi-
mè vero in Imperio Orientis à Constantino M. originem
sumunt *L. 1. C. d. annon. civil.* Rem *PANCIROLI CUJACI*q;
verbis interspersis referam, quantum alter alteri solum dat
necessarium. Constantinus translato Byzantium Impe-
rio, cum eam urbem ædificiis desertam instaurare vellet,
quibusdam Palatinis (comitatenses alias audiunt qui sunt
ex comitatu Principis) certos panes præstituit. Hi erant
ex scholis quæ sunt sub dispositione Magistri Officiorum,
XI. Notitia X recenset: Scutariorum primam, secundam,
tertiam, Agentium in Rebus, Armaturarum Seniorum,
Armaturarum Juniorum, Gentilium Seniorum, gentili-
um juniorum, Scutariorum Sagittariorum, Scutariorum
Clibanariorum; Undecima est Fabricensium Schola. Et
quia ex Palatio capiebantur Palatini sunt dicti Nec in pane
tantum, sed in vino, carne & oleo *SVIDAS in v. παλατινοί, add.*
Alciat. C. d. frum. V. Cpol. XI. GREGOR. l. 36. c. 30. n. 1.
Ad omnem verò fraudem amovendam non domi à Pisto-
ribus panes accipiebantur, sed publicè ex quibusdam gra-
dibus, qui in unaquaque Regione urbis erant ad pistri-
na, (*) dabantur, præsentè scriba, iis qui tesseras osten-
dissent.

(*) Postquam hæc scripsi incido in *JAC. GODOFREDUM*, qui mirâ dilu-
sitate hæc tractat ad *L. 2. C. Th. d. ann. civil. quem vide sis.*

dissent. Unde panis dictus gradilis. Prudentius adver-
sus Symmachum:

Quem panis alit gradibus dispensus ab altis.
Et in multis adeò numismatib9 pauperes ad accipiendum
panem gradus adscendere vidi in Antiquario auro non
adærandò Eminentissimi Cardinalis ANTONII BARBE-
RINI, secundum quod facilis erat in exteros ejus adfectus
atqve ex benignitate singulari post funera quoq; depradi-
candus. Annona eadem civilis, quia ex publico percipie-
batur; civile enim publicum significat. *l. ult. §. hæc omnia
ff. de muner. & honor.* Ex hæc largitate Constantini deinceps
orta quæstio est, utrum eos panes singulis scholaribus
dedisset, an Scholæ & universitati? Si Scholæ, illic sem-
per manere, nec vendi vel in heredem ab Scholari trans-
mitti debebant. Quod decidunt *L. 8. & l. 9. C. Th. d. annon.
civ.* Lex IX. plenissima ita habet: *Impp. Valentinano Theod.
& Arcad. AAA Proculo P. V. Cpol. Annonas civicas
in Urbe Cpolitana Scholæ Scutariorum & scutariorum Cliba-
nariorum Divi Constantini adseruntur liberalitatem meruis-
se. Quarum ex magnâ parte imminutio facta perhibetur,
quod alii eas putârunt tanquam proprias distrahendas, alii
per successionem grad9 hereditarium jus venire. Sublimis itaq;
E. T. omnes eas quas quoqvo modo alienatas fuisse repererit,
iis Scholis, quibus donata ac deputate sunt (amotâ omni relu-
ctatione) restituet. Habere enim debent earum perpetuita-
tem, quarum meruere Compendium Dat. VII. Kal. Aug. Romæ
Timasio & Promoto CONSS. Sed parum institit, quando iidem
ferè Impp. pro personis singulotum rescripserunt in *l. 1. C.
d. annon. Civil. X.* Annonas publicas non tam titulis digni-
tatum, quam singulorum viritim meritis, attributas Divi*

Constantini liberalitate &c. ut quicumq; perceptarum annonarum emolumenta vel in heredes proprios jure sanguinis transfuderunt vel in extraneos distractionis titulo transcripserunt, maneat quod gestum est, vel hereditatis merito vel alienationis arbitrio. Quum tamen ad domos ab initiis primis essent dati panes, puto firmum mansisse, ut qui domum vendidissent panes earum penes se retinere non possent, ut est in *L. 1. C. Tb. d. t.* Qui vero domos retinebant panes in alium transferebant. *v. Cuzac. ad d. l. 1. C. d. annon. Civil. XI. & GVID. PANCIROLL. l. 2. §. 209.* ut constet quæ hic operæ nostræ fuerint.

CAPUT VII.

De Annonâ Militari, Salgamo, Stellatura, & Buccellariis.

Militia Palatina ad armatâ deducit, quò magis hinc quoq; frumentum distribuendum, annona omnis eroganda est. Præterquam enim quod stipendia aut donativa reciperent milites *l. 1. C. d. re mil. XI.* de victu quoque eorum fuit prospiciendum. Hospitium primò occurrit, quod Metatores ita adsignabant, ut in tres domo divisâ partes primam eligendi dominus habeat facultatem: secundam hospes quam voluerit exequatur, tertia Domino relinquenda sub pœnâ amittendi cinguli *l. 2. C. d. Metat. & Epidem.* Hospes miles brevi etiam suppellectili juvandus *l. 6. §. 5. d. off. Presid.* non m. pascua danda pro animalibus *l. 8. C. b. t.* aut Cibaria pro hominibus, qui saltim Salgama exigere
re

re non possint *t. t. c. ne Comit. & Tribun. lavacra præ-*
stentur & C. d. Salgam. non præst. Sunt autem Salgama
esculenta rustica quæ ad condiendum valent, in illo Co-
lumellæ :

Tempore non alio vili quovis salgama merce
Capparis & tristes inula ferulaque minaces
Plantantur. adde latifs. Panciroll. l. 2. c. 262. f. 431.

Civiliter significat culcitra, ligna, oleum, acetum, saleml
& in universum res necessarias ad apparatus victus & cor-
poris refocillationem, saltem extra cœnam. J. GODOFR.
ad. L. 3. c. Tb. hic. f. 361. quæ qui abs Hospitibus extorquent
gravi vexationi subicit *L. un. C. d. t. ubi ALCIATUS.* Cœnati-
corum autem nomine milites & eorum superinstantes ni-
hil penitus à Provincialibus accipere audent ex C. Valen-
tin. & Valentis *in l. 36. C. d. erog. mil. ann.* Sciant enim
milites (*rescribunt*) quod oporteat eos commoda sua quæ
in annonarum perceptione adipiscuntur accipientes, ex-
trinsecus detrimentis Provinciales non adficere. (a) Ac-
cipiebant enim verò inter cœtera stipendia in eos usus an-
nonas Milites suas, abs Præfectis Pagorum exactas & susce-
ptas; à quibus postulabant Opinatores ad quem modum
Comites & Duces rei militaris per Subscribendarium jus-
sissent, erogandas iterum variè per Optiones, Præpositos
Pistorum & Diadoras *L. 1. l. 24. & l. 26. C. Tb. d. erog. mil.*
ann. Sed an sub stellaturæ beneficio? quod putant ALCIA-
TUS *ad l. XII. C. b. t. & lib. 8. parerg. c. 12.* WOLFGANG
LAZIUS *l. 12. comm. Reip. Rom.* COEL. RHODIGIN, *l. XI. ant.*
Lect. c. 8. 566. GV. Panciroll. Thes. var. Lect. l. 2. c. 260. f. 429.

ALCIA.

(a) Similes prohibitiones adversum militares concussionem sunt in *L. 13.*
C. b. t. & multis aliis xxx. hic.

ALCIATUS qui primus ferè (ut alia multa) hæc indagavit, ita
scribit in lib. XII. Cod. Vol. III. Oper. suorum fol. 607. Vocabulum
hoc (Stellatura) inventu varissimum, interpretare, ut ferè tesseram
frumentariam significet, nisi quod serà gratuitum frumentum plebi
dabatur, Stellatura viliori pretio annona militibus vendebatur, idq;
à parocho seu Opinatore, qui à munificibus Paganis acceptas species ad-
arabat hoc est estimatas in militare ararium (vulgò Magazinum vo-
cant) referebat, unde nomine stellaturæ distribuerentur: Quod &
hæc constitutione & aliis pluribus ostenditur. Addit locum
Spartiani in Pescennii Nigri, & Lampridii in Historiâ Alexandri.
Sed vero dies hîc quoq; diem docuit, quò facilius est in-
ventis addere plura. Et notata fuit stellatura seu stillatura
annonarum militarium quædam strictura & delibatio; seu
lucelli genus, quod præter annonas suas quas de publico
consequiebantur pro dignitate suâ Tribuni & Duces emo-
lumentum & compendium faciebant sub specie donatio-
nis ex ipsismet militibus. Vetitum ab Hadriano Imp. te-
ste Spartiano, & Pescennio Nigro & Alexandro item Se-
vero Impp. quos notaverat etiam ALCIATUS. Sed postea
indultum; & modus positus ab Impp. Arcad. Honor. &
Theod. ut scil. Tribuni septem dierum annonas à sin-
gulis militibus acciperent de stipendiis singulorum annuis.
Quinquagesima igitur stillatura fuit. GODOFR. ad l. 27. C.
Ib. hîc. §. fin. eaq; adarata, quam non in specie, sed in pretio
consequiebantur cujus quotationem ipse persequitur f. 326.
Ex quò rem sic satis tenemus: sed nominis rationem ne-
sciri Cujacius scripsit ad l. 12. C. d. erog. mil. ann. Alcia-
tus putat dictas Stellaturas à stellis satis eruditâ demonstra-
tione d. f. 607. & explicavit Tesseras stellatas WOLFFGANG.
Lazius l. XII. Com. R. R. quò forte modò ap. Virgil. IV.
Æneid. Ensis stellatus est stellis ornatus, PANCIROLLUS
ab

ab agro Galliae Cisalpinæ Srellate dicto deducit quem ve-
 teranis suis tres liberos habentibus C. Cæsar in Consulatu
 præmii loco divisit. *vid. Cic. in Rullum. SVETON. in Cæs. c. 20.*
 add. TABOR in Racem. extr. ad T. Dig. d. stellionat. th. 4.
 JACOBUS GODOFREDUS Stillaturam legit, quasi stillam quan-
 dam & veluri stricturam minimam demorsam, abrasam
 abrosam de annonis militaribus. Galli un Esgout, distil-
 latio. Ut à Stilla sit Stillatura. Qvalia ferè nomina in-
 vidia levandæ emolumentis præter annonam seu stipen-
 dia percipi solitis imponi, culpæq; adeò nomina prætexi
 solita, compluribus aliis exemplis compertum est. Hinc
 enim pariter Xeniola, Sportulæ, Cœnatica, Eulogiæ, Pul-
 veraticum, Filicon, Epimetron, Species deniq; (a) At-
 qve hæc est vera (*addit*) Stillaturarum nî fallor ignorata
 hæctenus ratio. *f. 325.* Forte tamen & rectè scripseris Stella-
 turam: nam & stellatura de his dicitur quæ punctis aut gut-
 tis velut stellis ornantur, quod probat loco tum Ovidii tum
 Plinii *f. 326.*

Erat præterea expeditionalis annona, quam cum in
 expeditione degunt milites percipiunt, buccellatum puta
 ac panem: vinum quoq; atqve acetum, sed & lardum, car-
 nem m. vervecinam *L. 5. C. Th. & L. 1. C. b. t.* Buccellatum (b)
 dicitur à buccæa, quæ est frustulum panis, quantum quidem
 E buccæa

(a) Varios de prædandi finis quibus Duces seu Tribuni militum ditescerent
 olim enumerat Libanius Orat. περί τῆς ἀποστῆσιως *f. 22.*

(b) Vulgò Biscorum: biscuit, biscotto, biscocho: Zwieback quod longius co-
 quatur quam alius panis, resistens magis corruptioni in Indico & aliis
 longinquis navigationibus utilissimus unde panis Nauticus appellari
 meretur quem unis Venetiis XLIV. fornacibus noctuq; dieq; succur-
 rit excoqui a Germanis Pistoribus. Tantum fides placet & Candor
 Nostris!

bucca capere possit uti probat ex *Tranquillo in Octavio AL-*
CIATUS: quod sic in buccas minutas duriter ex coqueretur
panis ad usus diuturnitatem. *l. t. c. d. excoct. annonarum.*
Ut sint secundum nonnullos Buccellarii in *L. ult. c. ad. l.*
Jul. d. vi publ. qui buccellato pane frequenter uterentur
milites, aut qui panis quod bucellum vocabant, curam ha-
buissent. Sed quos rectius è Buccellariorum regione e-
vocat *ALCIATUS* quæ est Gallogræcia ad *l. i. c. b. t. Gv. PAN-*
CIROLLUS l. 2. Var. lect. c. 233. Sciendum est (scribit) hos milites
fuisse. Buccellarii enim erant Equites & una ex X. vexillatio-
nibus Magistri militum Orientis, ut in libro *Notitia dignita-*
tum legitur, & *Svidas* illos GalloGræcos seu Galatas vocat
& GalloGræciæ regionem incoluisse scribit: cur vero Buccella-
rii appellarentur non aperit. Sed verius est à Buccellaria
regione, quam inter *Isauriam* & *Cappadociam* *Constantinus*
Porphyrogenetæ locat, nominatos fuisse. *Ejus sape* & *Cedre-*
nus meminit & c. De Lardo aut Larido sollicita est *l. 2. C.*
Tb. b. t. Cum militibus per Afr. constitutis Laridum vel
recens forsitan caro deinceps erogabitur ungulas orisque
tantummodo summitatem præcidi amputarique præcipi-
mus, ne porcina integra separetur, sed erogationi profici-
at annonaria. Omnem eam repetita consuetudo mili-
tes sic fecit percipere in II. diebus buccellatum, in 3tio die
panem: uno die vinum, alio die acetum, uno die lardum
biduo carnem vervecinam. *l. i. C. b. t. quæ est l. 6. C. Tb. eod.*
Et præterea à Kal. Sept. usq; ad Kalendas Apriles vestes
quoq; aut singulis solidos auri comparatitii. *l. i. 2. & 3. C. d.*
milit. vest. add. pro notit. ulteriori *VEGETIUM de re milita-*
ri. ALEX. ab ALEX. l. i. G. D. c. 12, JUSTUM LIPSIUM & alios de Mi-
litiâ. GVIDON. PANCIROLL. l. 2. c. 261.

CAP.

CAPUT VIII.

Episcopiam f. panis, simulac aliarum rerum
in foro venalium.

Nondum omnibus quæ hactenus defungimur sufficit liberalitas: Sed cæteris quoque si qui indigent venditiones parandæ sunt in publicum. Sive mellita placent apud Dulciarios APULEJI *l. X. Asin. Aur.* sive panis Ostiensis, quem ex frumento comparatio portuensi conficiebant Pistorum, ibique in cellulis venalem exponebant *L. 4. C. Tb. d. Can. frum. V. R.* qui taxationem ideò admittit faciliorem. Principis in *L. un. C. Tb. d. pret. pan. Ostiens.* quod Pistoribus levioribus pretiis frumentum venundaretur à Mensuris *l. 1. C. Tb. d. can. frum. V. R.* Aut panis tandem Urbanus, quem venum ponunt iidem Romæ in cellulis ad horreola sua, *sepè d. l. 4. C. Tb.* Et ne is pessimus esset providebat Præfectus annonæ pensum atque munditiem ejusdem. CASSIODORUS in *Form. Pr. Annonæ.* Per officinas pistorum discurrens, pensum & munditiem panis exigis. CUJAC *l. 16. O. 5. § in C. d. can. fr. V. R.* Frequentius puto per Apparitores qui hisdem ministeriis obsecundant *d. l. 4. C. Tb. d. can. fr. V. R. add. t. 1. C. d. apparit. Præf. ann. XII.* In Civitatibus cæteris curabat Episcopus panis Charisianus in *l. 18. §. item Episcopi qui præsumt panis. D. d. mun. § honor.* Addit: & cæteris rebus qui civitatum populis ad cottidianum victum usui sunt: in quæ illic GLOSSA est notabilissima cui add. CARPZ. *p. 2. C. 33. D. 16. n. 2.* alias in Vrbe eadem curabant Ædiles, quod supra vidimus & docent *Dd. Nostri in §. Prator. 7. J. d. J. N. G. § c. § fufius ad T. D. d. edil. edict.*

Eosdem in hoc studio juvârunt Præf. Annonarum &

E 2

qui

qui cum his concurrunt in conservanda V. abundantia,
 Præfecti Urbis. Vnde Vlpianus *curam carnis omnem ut
 justo pretio prabeatur, ad curam Præfecturæ pertinere,
 ait: Et ideò m. forum suarium sub ipsius curâ est. Sed & cæ-
 terorum pecorum, sive armentorum quæ ad huiusmodi præ-
 bitionem spectant, ad ipsius curam pertinent. in L. 1. §. 11. D. d.
 off. Præf. Urb.* Supervenerunt deinde omnibus Episcopi
 ac antistites rerum sacrarum ex Valentiniani & Valentis
 Lege: *quæ est i. c. de Episc. aud. Negotiatores si qui ad do-
 mum nostram pertinent, ne modum mercandi vide-
 antur excedere, Christiani (quibus verus cultus est, adjuva-
 re pauperes & positos in necessitate) provideant Episco-
 pi. (*) Forum claudo Venalium Lege si placet universali
 Aristonici, de quâ scripsit ALEXIS in Lebete: recensitore A-
 THENÆOl. 6. Dipnosophisticorum c. 2. Interprete v. NATALE
 de Comitibus Veneto.*

*Aristonico nullus fuit prudentior
 Latore legum, ponit hic legem quoq;
 Nunc, venditor si piscium quis vendidit
 Pretio minore quàm petivit, illico
 In carcerem ut ducatur, equo sint uti
 Pretioq; contenti, domum vel putridos
 Pisces ferant hi vesperi, mittas anum,
 Mittatur aut puer, senexvè, protinùs
 Omnes ement ex Lege.*

Tum

(*) Similes tum Episcoporum curæ erant providere captivis, infantibus ex-
 positis, meritoris puellis lenonum injuriæ captis & oppressis, & quæ e-
 rant alia caritatis officia CUIAC. in paratit. C. d. Episc. aud. HENR.
 ZOES. & ANTON. PEREZ. *ibid.* GUDBLIN. *d. jur. noviss. l. 6. c. 5.
 f. 372.*

*V. Justiniani Imp. Sacr. Formulam Artificum in Nov. 122. cui conveni-
 unt hodie die Taxordnungen.*

Tum paulum progressus hæc inquit:

Aristonico nullus fuit prudentior

Lacore legum; post Solonem, nunc quoq;

Post ordinata Legibus quam plurima

Rectissimè Legem novam tulit auream,

In posterum ne venditores piscium,

Vendant sedentes, usq; stent ad ultimum, (2)

Atq; inde suspensos ait se scribere

Ex MACHINA vendunt velut Dei, magis

Mittunt ementes sic citò. f. 93. Edit. Ven. An. 1556.

CAP. IX. BELLARR.

Mensas ultrò appono secundas ad modum veterum

Convivatorum. (a) *An ut satis bibamus?* Non enim sitis gratiâ solùm quæ per mensam primam nostenet, bibendum, sed & post haussisse aliquid juvat. ARISTOT. *Sect. 22. c. 6.* Quin ergò ficus do & ciceres, fabam & baccas Platonicas? aut si mavultis linguas igne torridas, Græcorum tandem lepores omnes. An verò nuces multiformes spargo? Quas tuum est in ordines componere

L. B.

I. Episcopos in Romanâ Ecclesiâ Panaceos sibi Deos constituisse scripsit RUDOLPH. HOSPINIANS in *pr. super Orig. Monach.* In promptu causa est: ut & ipsi haberent panes Oblationum Judaicæ Ecclesiæ, & Gentilium pulrem atq;ve farra, & collyra, quæ figant in Pyanepsiis.

E 3

II. Si

(2) *Simile observavi Lipsiæ in Macellariis extraneis, die frembden Fleischer müssen ihr Fleisch alle bey wehrenden Marktage und stehend aushaaken und verkauffen ut sic citius componere cõtriceantur pretia.*

(a) *vide Athen. D. pnosoph. l. 14. c. 17. Lucian in Lapithis. f. 223. Alex. ab Alex. l. 3. Gen. Dier. c. 11. f. 138. & l. 5. c. 21. f. 268. 6.*

II. Si quem vivum ex crimine defoderant vet. Græci, Romani, solebant panem, cibiq; non nihil apponere, ne viderentur hominem in mediâ confecisse, quod inter piacula ducebant. GUILIELM. CANTER. l. 7. c. 7. Solebant etiam mortuis apponere Mellitutam, quæ Cerbero objiceretur: obolum quem caperet Charon ad trajectum: coronam, quæ significaret vitæ certamina exantlata. COEL. RHODIGIN. l. 9. A. L. c. 16. f. 471. Fallor si non ad eundem modum panis objicitur Missaticus Incendiariis illis Purgatorio-
riorum? Vide doctâ de Missa ap. ALCIATUM. l. 7. parerg. jur. c. 10. Tom. 4. oper. f. 470.

III. Mose iamnum apud Gallos obrinet in Principum & Regum defunctorum honorem per aliquot dies ante eorum cererem effigiem toro locatam mensas parari dapibusq;ve solitis onerari à consveto Ministrorum & familiari turba. Ex MORELLO descriptis Pontan. in Attic. f. 185.

IV. Antiquitus amicitia Pane conciliabatur. ERASM. in adag. f. 165. Panem ne frangito.

V. Calicis aut panis etiam nostri aliquid in terram decuti anxie patimur. TERTULLIAN. lib. d. coron. militari scripsit. Rectè: postquam etiam fragmenta ne perirent colligi Servator iussit Johan. 6.

VI. Panicis mensas quæ ex durioribus panis partibus fiebant, eruo ex illo VIRGILII l. Aeneid. 705.

Dant manibus famuli lympham, Cereremq; canistris Expediunt.

add. Taubm. N. ibid. COEL. RHODIGIN. l. 7. c. 12. ALEX. ab ALEX. Gen. Dier. l. 5. c. 21.

VII. Panem lapidosum ex mente FABII VERRUCOSI appellat beneficium ab homine aspero datum SENECA l. 2. de benefic. Quomodo explicabis illum quem Neptunus pro Cerere dat Ichthyophagis ap. Diodor. Sicul. l. 3. c. 3. pr. f. 74.

VIII. L. Manlio Viro Consulari selibras farris & quartarios vini aliquando contulit maximum donum S. P. Q. R. Liv. l. 5. Dec. l. f. 366.

IX. Quo-

IX. Quomodo talis, aut tessleris, pilave falli possit stomachus à Lydiorum Rege discas licet *apud HERODOTUM l. 1. f. 18.* & qui sat multa fallimenta alia produxit SCIPIONEM AMMIRATEM *ad Tacit. Disc. 3. lib. XII.* Vera cosa è (*inter alia dicit*) che senza pane si può vivere. Sed tutius est habere panem: qui melius longè quam olera omnia nutriat; quippe quorum succus ex nimia sui aqvofitate diffluit, & ad alendum est remissior.

X. Frumentum Aeneum in *L. 1. C. Th. d. frument. Carthag.* facile legitur, non intelligitur *vid. JAC. GODOFRED. comm. ibi f. 266. post CICONIUM l. 4. Obs. Jur. Can. c. 3.* An aliquà saltem parte similiter Nostris d. *Eiserne Röhre/Eiserne Schaffe?* *vid. BESOLD. cum Addit. V. eiserne Vieh f. 393.*

XI. In Hispaniola Novi orbis primi descriptorum spicas frumenti adeo ingentes tradunt, ut humano brachio aqvantur, duo quoque granorum millia singulas continere. Auget miraculum, quod satum frumentum Februario, exitu Martii mensis meti potest.

XII. Pars Coenae Laribus donabatur, ut libaretur tota. *HORAT. l. 2. S. 6.*

Ante Larem proprium vescor, vernasque procaces
Pasco libatis dapibus.

Ipse dabo risibus Tuis totum illud HORI, quod scripsit, Panem censei primæ notæ, quem arrodere adorti sunt mures, quoniam animali delectus hic præcipuè sic *COËL. RHODIGIN. l. 9. A. L. 6. 17. f. 471.*

XIII. *Sed occupat extremum luctum!* In pane illo & illo, quem S. Antonius Florentiæ ArchiEpiscop. anathemate percussit *ap. SURIUM. Tom. III. ex quo sic descripsit brevius JAC. PONTAN. Attic. Bellar. Synt. 13. lib. 3. Hist. 19.* Cum quidam jacturam non ita gravem passi S. Antonium sententiam excommunicationis adversus damni auctores flagitarent vehementius:

DE

ut demonstraret, quam vim illud fulmen haberet in animis, hujusmodi exemplo usus est. Panem candidum afferri jussit, in quem anathematis verba horroris plena contorsit, qui repente omnibus spectantibus & stupeantibus carbone nigrior evasit. Tum Sanctus: quis inquit hunc panem quantumvis famelicus non dicam deglutire, sed vel dentibus attingere audeat? quis eum non statim projiciat? Quanto magis censura laqueo detentas animas Deus & Sancti ejus indignantur? Abite igitur & tenui damno candidas animas adeo denigrare nolite. Mox adhuc adstantibus illis ad panem conversus: Heus! ait, istoc nexu anathematis te libero. Statim nigror evanuit, candor pristinus rediit. *Hec ille f. 665.* Et pramiserat non dissimile exemplum vindictæ Episcopalis in Corvum furem annularium, Conrado Corbejensi. Episcopo unice dilectum, ob feralem nî fallor nigredinem ex Scazonibus pulcherrimis ANGELINI GAZZI Jesuitæ. Nunc mensam tollo ex SC. ut supersit aliquid reliquiarum, quod posterâ die cœnam juvet.



na-
in
nte
um
di-
non
ni-
no
bus
re
ille
co-
pi-
ex
tr.
li-

05 A 1401

ULB Halle 3
003 781 887


Von 04





